



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Lvdovici Molinæ, E Societate Iesv Theologiæ Doctoris, &  
Professoris, Commentaria, In primam D. Thomæ partem**

**Molina, Luis de**

**Lugduni, 1622**

Vtrum voluntas Dei sit causa rerum. artic. 4. disput. 1.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73915)



ita & liberalitas diuina non pidentur in creaturis.

fit misericors, & magnificus, imò fit ipsa misericordia, & magnificentia, esto actus voluntatis diuinae nullum respectum haberet ad creaturas, quo uellet eis bona impertiri, leuareque à miseria, esset per essentiam suam misericors & magnificus ex se & suapte natura. Nos uero, quibus eiusmodi perfectiones ac virtutes non conueniunt per essentiam, nisi actum earum eliciamus, eiusmodi virtutibus & perfectionibus careamus necesse est.

Circa responsionem ad quartum & quintum nonnulla animaduertenda sunt. Primum est, voluntatem diuinam esse causam necessariam, quia necessarium existit: non uero quoddam necessario quicquam efficiat. Est enim causa libera, meliusque ita appellatur, quam causa contingens, ut q. 14. art. 13. disp. 10. dictum est.

Secundum est, in voluntate diuina non esse potentiam, ut ita dicam, ad aliquid reale in se habendum, quo efficere, aut non efficere uelit res ad extra, sed esse potentiam actualem ad liberè efficiendum, aut non efficiendum quicquid uult: uelleque efficere, aut uelle non efficere, nihil addere supra actum uolendi, quo uult suam essentiam esse, & quo seipsum diligit, nisi respectum rationis, ut dictum est.

Causa libera qua ratione seipsa determinat.

Tertium est, causam liberam non indigere aliquo, quo in alteram partem contradictionis determinetur, sed per se ipsam sese determinare posse. Libertas namque in eo est posita, quod causa ipsa libera pro sua innata libertate, in quam partem uoluerit se inflectat. Quod si causa libera secunda, seu creata sit, determinat se ad uolendum, uel nolendum, producendo in se ipsa ex actibus, ad quos secundum se est in potentia, cum quem mauult elicere: Si uero sit causa prima, sine productione alicuius actus, ad quem sit in potentia, per actum tamen, quo se naturaliter diligit, & qui est idem cum diuina essentia, determinat se ad uolendum, aut nolendum, superueniente solo respectu rationis comparatione obiecti, quod uolunt, aut nolunt est, ut saepe diximus.

Circa responsionem ad sextum animaduertendum est, Deum se omnino necessarium, cum naturas omnium rerum, quae quacumque ratione esse possunt, tum complexiones earum necessarias tum etiam quodam singulari contingentes indifferenter esse & non esse possint, quod necessarium in idem est, tum denique complexiones omnes contingentes secundum esse futurum, sub conditione tamen & hypothese, quod hos uel illos ordines rerum uelit condere. Exceptis tamen complexionibus, quae à libero arbitrio creato pendunt: has enim licet non liberè, sed necessitate naturae sciat etiam illo modo, ex altissimo modo, quo in se ipso liberum arbitrium creatum comprehendit, si tamen contrario modo, ut possunt, essent futurae, eadem necessitate cognosceret etiam eas ita futuras esse, & ob id non necessarium omnino nouit illas esse illo modo futuras, cum potuerit aliud scire: tamen si non liberè sciuerit illas esse futuras. Complexiones uero contingentes, futuras esse absolute hoc uel illo modo, nouit liberè post liberam determinationem voluntatis, qua statuit creare eum ordinem rerum, quem creare constituit. Haec omnia ostensa sunt q. 14. art. 13.

Cur Deus multa necessaria sciat, quae non necessaria sunt esse.

Ratio autem quare sciat necessarium ea omnia, quae numerata sunt, non uero uelit res necessarium, haec est. Quoniam cognoscit illa omnia, tum quatenus sunt in ipso eminenter, tum quatenus per suam omnipotentiam esse possunt, uel certe quatenus ex illimitata perfectione sui intellectus in seipso comprehendit, in quam partem arbitrium creatum se

A inflectit: non est autem in eius potestate, ut res non sint in ipso eminenter, uel ut omnipotentia ipsius esse non possint, uel denique ut infinita atque illimitata perfectione sui intellectus non comprehendat illo modo liberum arbitrium creatum: & ideo necessarium scit ea omnia. Quoniam uero uoluntas diuina, liberè uolendo, aut nolendo res, causa est ut sint, uel non sint, sit, ut non necessarium eas uelit, sed liberè & consequenter, ut non necessarium sciat esse absolute futuras.

ARTICVLVS IV.

Vtrum uoluntas Dei sit causa rerum.

DISPUTATIO I.



Conclusio Diui Thomae est. Deus causa rerum efficiens est per suam uoluntatem: non tamen ex necessitate naturae.

Notat uero Caietanus hoc loco, Ferraricus 2. contra gentes capit. 23. duobus modis posse intelligi agens aliquod agere ex necessitate naturae: uno, ita ut agere ex necessitate naturae idem sit, quod agere non per cognitionem & uoluntatem, sed per aliquod aliud principium. Altero, ut sit idem, quod agere non liberè, siue actio fiat per uoluntatem & cognitionem, siue non item. Licet autem Deus neutro modo agat ex necessitate: quandoquidem agit per intellectum & uoluntatem ac liberè: affirmant tamen hi Doctores, D. Thomam tam hoc loco, quam lib. 2. contra gentes cap. 23. uoluisse, Deum non agere ex necessitate naturae, solum primo modo: ita ut conclusione proposita solum asserere intendat, Deum agere per uoluntatem prauiam cognitionem intellectus, nihil interim curando, utrum agat liberè, nec ne: Neque enim rationes D. Th. hoc loco, praesertim 1. & 3. aliud probant. Ex decisione tamen praecedentis articuli, una cum decisione huius habetur, Deum agere non ex necessitate naturae, etiam secundo modo, ad est agere liberè. Cum enim articulo praecedente ostensum sit, Deum non necessarium, sed liberè uelle alia à se, sanè si eorum est causa per uoluntatem, hoc est, quia uult ea esse, ut in hoc articulo ostenditur, erit causa liberè res efficiens.

Quicquid tamen dicendum sit de mente Diui Thomae, de fide est, Deum causam esse, non solum per suam uoluntatem, sed etiam liberè res omnes efficiens, ut patet ex illo Psal. 134. Omnia quaecumque uoluit Dominus fecit in caelo, & in terra. Ad Ephesios 1. In quo sorte uocati sumus, praedestinati secundum propositum eius, qui operatur omnia secundum consilium uoluntatis suae. Sapient. 11. Quomodo posset aliquid permanere, nisi tu uoluisses. Psalm. 148. Ipse mandauit, & creata sunt: creata autem sunt in tempore, ut constat ex illo Genes. 1. In principio creauit Deus caelum & terram: ergo mandauit liberè: si namque imperium esset naturale, ex aeternitate praecessisset rerum creatio. Mitto pleraque alia Scripturae testimonia, idem rationibus naturalibus aperte demonstrauimus supra q. 2. art. 3. tum ratione 2. & 4. quibus ostendimus Deum esse, tum uel maxime in his, quae post rationem quartam eo loco subieciimus.

Illud aduonebo, ex eo praesertim quod natura agat propter finem, rectè colligi, Deum agere per intellectum & uoluntatem: at nisi simul expendantur ea quae nos loco citato expendimus, non aptè colligetur inde, Deum agere liberè. Etenim si per impossibile ageret per intellectum & uoluntatem, non tamen liberè,

Deus agit per uoluntatem & liberè.

As ex illis quae natura agat propter finem, ab uult colligatur Deum agere liberè.



liberè, id posset esse satis, ut ex ipsius directione natura ageret propter finem: necessariò tamen à prima causa intentum, dum necessitate naturæ per intellectum & voluntatem rebus esse conferret.

DISPUTATIO II.

Crediderint Aristoteles Deum agere ex necessitate naturæ, an potius liberè.

Quicquid Caietanus in illa sua quaestione de infinitate Dei dixerit, dicendum est cum Scoto in 1. d. 8. q. 5. Marfilio in 1. q. 42. & 44. Ferraricensi 2. contra gentes c. 23. Ochamo & Gabriele in 1. d. 43. Gregorio d. 42. Dominico à Soto 8. Physicorum q. 1. & cum plerisque aliis, Aristotelem arbitrari fuisse Deum agere ex necessitate naturæ, & non liberè, idemque cum Aristotele affirmasse Commentatorem 8. Physicorum libro. Credidit quidem Aristoteles Deum agere per intellectum & voluntatem: quandoquidem 1. Physicorum ostendit, naturam agere propter finem ex directione primæ causæ: quod non esset, nisi arbitraretur Deum autorem esse naturæ per intellectum & voluntatem: attamen existimavit non agere liberè per voluntatem, sed ex necessitate naturæ. Potissima ratio, qua uterque videtur motus, adducta atque dissoluta fuit q. 9. art. 1. Intellegere enim non valuerunt, quomodo Deus per se solum producere aliquid de nouo inceperit sine mutatione aliqua in ipso facta, saltè per voluntatem.

Deum agere ex necessitate naturæ Aristoteles non ait.

Quòd autem mens Aristotelis fuerit Deum agere ex necessitate naturæ, ex eo facillè patet: quod cum asseruerit, mundum habere esse à Deo (sine nouitate tamen essendi) si credidisset Deum agere liberè, utique neque asseruerasset, neque putasset se demonstrasse, mundum & generationes rerù fuisse ex æternitate: quippe cum vtrumque pendat ex libera voluntate Dei: qua de causâ facillè cognouisset, non posse rationibus naturalibus id probari, quod sufficienter se demonstrasse putauit. Quòd autem asseruerit, mundum sine nouitate essendi habuisse esse à Deo manifestum est. Primò, quoniam aliàs, neque asseruisset naturam agere propter finem, neque 11. Metaphy. Deum finem mundi vniuersi constituisse, neque 8. Physicorum, & 2. Metaph. affirmasset æternorum esse causam æternam, neque 1. de celo c. 9. docuisset, à Deo pendere vitam, & esse aliorum tamquam à fonte vnde esse deriuatur, aliis quidem exactius & perfectius, aliis verò obscurius, & minus perfectum. Secundò, quoniam 8. Physic. textu 52. & 53. Ex eo, quod primum mouens omni profus mutatione careat, ac proinde semper in se ipso sit in eadem dispositione, colligit mundum semper emanare ab eo eodem modo, Deumque semper mouere eodem modo cælum, ac proinde tam mundum, quam motum cæli, fuisse ex æternitate, diuersitatemque, quam in his rebus inferioribus cernimus, provenire ex dissimilitudine, ac diuersitate partium orbium cælestium, qua diuersimodè alio atque alio modo influunt, & applicantur per motum, ut ibidem suis explicauimus. Multa alia reperies in Aristotelis doctrina, que testantur eum existimasse Deum agere ex necessitate naturæ, neque posse producere aliquid de nouo, nisi interuentu causarum secundarum. Quòd si Aristoteles credidit humanum animum à solo Deo produci, non putauit posse ab eo produci, nisi in materiam ritè dispositam: quare cum ex tempore interuentu causarum secundarum disponatur, ex tempore etiam credidit produci à Deo agente ex necessitate naturæ, idque propter

Anima vniuersalis produci ex se. pro à Deo, & Deo agente necessario quando in Aristoteles non sentiat.

Molina in D. Thom.

A dependentiam productionis illius à materia, quæ ex tempore disponi solet.

Potissimum argumentum quod contra hanc nostram sententiam confici potest, illud est. Quod Arist. 8. Physic. cap. vltimo ostendit Deum esse infinitæ potentia, & ob id esse expertem magnitudinis: si autem simul crederet agere ex necessitate naturæ, censeret mouere primum mobile in non tempore: quippe cum virtus infinita agens ex necessitate naturæ, cum agat totum quod potest, necessariò moueat in non tempore.

Argum.

Ad hoc tamen argumentum dicendum est, in primis non satis constare quid sibi voluerit eo loco Aristoteles, cum tam infirmam rationem attulerit ad probandum Deum esse potentia infinitæ. Deinde dicendum, nullum esse absurdum concedere, Aristotelem non attendisse ad absurdum illud, quod ex vtraque assertionem sequebatur, in quarum tamen altera turpiter errauit.

Dissoluitur.

Illud verò animaduertendum est, contradictionem apertam inuolueret, Deum esse non solum infinitæ potentia, sed etiam eo modo omnipotentem, quo eum omnipotentem esse demonstrauimus q. 2. art. 3. in iis, quæ post quartam rationem adieciimus, quo item eum omnipotentem esse affirmat fides Catholica, & agere ex necessitate naturæ. Inde enim sequeretur producere infinitum, atque infinita: efficeret enim in quocumque instanti, tum quantam magnitudinem singulorum indiuiduorum corporis, tum quantam multitudinem rerum corporearum & spiritualium ex sua omnipotentia posset efficere: talis autem magnitudo, & multitudo esset infinita: si namque esset finita, adhuc in eodem instanti posset efficere maiorem, cum possit syncategorematicè, ut vocant, producere infinitam, ac proinde non efficeret quãtam magnitudinem ac multitudinem posset: ac efficere infinitam magnitudinem, multitudinemve rerum, contradictionem implicat, vt 3. Physicorum ostendimus. Præterea diuideret continuum in omnem suam partem, quod ibidem ostendimus contradictionem implicare. Consecutio probatur, quoniam in quouis temporis puncto efficeret omnes diuisiones in continuo, quas in eo temporis puncto posset efficere, at, infra omnes, non efficeret omnes, quas potest facere, quia datis quibuscumque infra omnes, adhuc posset plures efficere. Præterea esset motus in rerum natura, quandoquidem id contradictionem non implicat, & simul nullus esset motus, eò quòd Deus agens ex necessitate naturæ applicaret suam infinitam potentiam ad mouendum quoduis mobile quocumque motu posset moueri, ac proinde mutaret illud in non tempore. Denique conseruaret res in eodem instanti, & eas in nihilum redigeret, cum neutrum seorsim repugnaret, ac proinde res essent & non essent, quod contradictionem implicat. Contradictio ergo est manifesta, Deum esse tantæ potentia, quantæ re vera est, ac fides Catholica docet, & agere ex necessitate naturæ.

Dei esse omnipotentem, & ex necessitate naturæ agere potest.

C

D

E

F

ARTICVLVS V.

Vtrum voluntatis diuinae causa designari possit.

In quaestione proposta sermo est, tum de acta voluntatis diuina, ut terminatur ad obiecta volita, tum de causa propriè sumpta. Diuina namque voluntatis, licet nulla omnino designari causa possit: eò quòd nullius comparatione

Voluntatis diuinae causa esse nequit, ratio tamen potest.